



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

16. Dies Aprilis. Nihil habet natura humana, calumniatrice linguá deterius.
Nicetas in Manual. Commentar. num. lib. 3.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

16. DIES APRILIS.

Nihil habet natura humana , calumnia-
trice lingua deterius. *Nicetas in Manual.*
Commentar. num. lib. 3.

Calum-
nia. I.

Non tantum interius judiciis
malignis, sed & exterius ver-
bis acerbis aliena fama vio-
latur. Porro peccata externa,
quibus jus ad illam infringitur, possunt esse aut contra famam tantum, aut contra Honorem tantum, aut contra utrumque, inter quae ingens est discrimen. Gra-
viorem enim esse injuriam, quam fama laeditur, quam
ea qua Honor impeditur, constat ex eo, quod revera
fama est majus bonum, quam Honor, & famae viola-
tione acerbior aculeus infigitur. Inter has injurias te-
net principatum, infamatio per falsi criminis impa-
ctionem, quae Calumnia propriè dicitur, omniumque
acerrimè pungit: cuius malitia explorata est ex ho-
dierna tessera. Ea est calumniatoris natura, in cri-
men vocare omnia, probare nihil. Si boni quid-
piam dealtero audierit, silet, & est Areopagita ta-
citurnior: si malum aliquid arripuerit, Iliadem
ex eo, & Odysseam facit. Quorum multa neque
audiverit, neque sublegerit, sed finxerit, & con-
texuerit: eaque sutoribus, & sartoribus, & ton-
soribus deblaterando inculcat. Hinc accedit eu-
ulgatio alieni probri, veri quidem, sed tamen
latentis. Quamdiu probrum est occultum, per-

stas

stat in altero jus famæ, quod violent quicunque apud eos, quos ex officio, aliave idonea causa non interest commonefieri, occultam maculam, publicam faciant.

II. Id naturæ corruptæ vitio est omnibus insitum, ut gaudeat quis clanculum, cum plena suspicione criminationes audit. Ita enim aures calumniis suaviter titillantur, ac si pennis confricarentur. Quid porro est facilius, quam in hac arena vincere, ubi nemo repugnat, nec vim repulsat: sed qui audit, ultiro se detinet; qui verò accusatur, insidiarum est ignarus. Certè is, cuius vita inimicorum, ac Sycophantarum libidini est exposita, ille in vita ipsâ quodammodo caret vitâ. Calumniis autem non modò privati aliqui homines, sed integræ subversæ sunt familiæ, & civitates funditus perditæ: Patrum in liberos, fratrū in germanos: liberorum in Parentes, amantium in amatos, furor est excitatus. Quapropter illud in confessio est, non posse unquam calumniatorem, esse vi rum bonum: quemodo erit bonus, tot auctor malorum? Nam bonorum est virorum, eò quod amici benefaciunt, non eò quod inimicos criminantur benè audire. Deinde quem fugit, nullam ex multis, quæ apud homines vigent, deterioreni iudiciori posse injuriam, quam indicta causa reum condemnare, iuxta illud Poetæ: *Ne litem dirimas, quin primum audi veris ambos.* Quod tamen molitur calumniator, qui quem accusat, audientis iræ indefensum subjicit, & accusatione clancularia defensionem invertit.

III. Tu verò, si te velis palam prodere germanum Christi discipulum, hæc sit tua jugis occipatio, in omnibus operibus tuis, etiam bonis, te accusare, &

lis.
pud
erest
nfa
um;
ione
navi-
por-
emo
de-
Cer-
libi-
ca-
liqui-
civi-
rum
m ih
con-
e vi-
ma-
ami-
ntut
ltis,
osse
,ju-
ndi-
qui
,&
in-
at-
e,&
in

Aprilis.

Tessera.

289

in operibus alienis, etiam malis, alios excusare. Si amares Deum, & ejus immensam bonitatem, omnes propter Bonitatem amares: amares bonos, quia boni sunt, & ideo amore digni: amares malos, quia boni esse possunt. Non tantum ob premium admirandum est aliquod artificium, sed & materiam ex qua fieri potest. Ex malis fiunt boni: non oportet igitur illos odisse, vel calumniis incessere. Si Bonitatem Dei amares in Deo, velles, ut omnes amarent Deum, & ad hoc omnem operam tuam conferres. Diversus est zelus amoris humani, & Divini: Bonitas humana exiguis circumscripta est cancellis, & non sufficit omnibus, nec potest satisfacere multis, quin singulis minus respondeat: ideo zelus hominum est, ne alii ament, quod quisque diligit. At quia Bonitas Dei est infinita, & plus quam deficiens omnibus: & amor noster limitatus, & tantae Bonitati nequeat satisfacere, ideo zelus Divinus est, ut cæteri etiam ament illum, & approbent nostrum amorem, & coadjutores sint, ut solvant, & magis satisfaciant Bonitati, quam æquare non possumus ullo amore. Imprudenter, in modo impudenter amas Deum, nisi velis, ut omnes ament eum: nam debes amare plus quam te, te autem, cum pessimus sis, vis, ut omnes ament, cur optimo Deo minus desideras? Quantum abest ab hac charitate calumniator, qui est fratrum suorum injquis accusator. Sed hoc sit tibi, qui pateris calumnias in solatium:

Non quisvis sordet, quem dente calumnia mordet.

T

17. DIES